

eognitione hujus scientiæ & studium medicum recte tractari, & feliciter morborum sanationem suscipi posse, quod & antiquissimæ Medicorum auctoritati & inviolabili veritati repugnat. Suscepi jam hoc laboris, & paratus sum semper defendere, omnem medicam praxim fallacem, infidam, confusam, difficilem & periculosam esse sine theoria, quæ tamen, si causas & originem quæras, ex fundamentis philosophiæ naturalis & observationibus circa humana corpora petenda est. Hoc equidem asserendum esse non negamus, Physicos libros a Veteribus conscriptos, qui principiis plerumque abstractis metaphysicis, & inanibus ac vacuis terminis, nec non generalioribus positionibus abundant, parvum vel plane nullum habuisse in re medica usum, unde etiam incrementa saluberrima ars nostra per multa secula capere non potuit. Aliter autem comparata est Recentiorum physica, quam condere & stabilire ex scientia ac legibus motus, nec non accuratioribus circa corpora observationibus undiquaque solertissima ac perspicacissima ingenia passim contendunt. Non dissimulandum est, in Recentiorum etiam Physicorum Systematibus multa adhuc desiderari posse, utpote qui pluribus præjudiciis laborant, certæ Sectæ adhærent, & ultra modum generalioribus